

Secundum quid tamen et in certis casibus præferenda est vita activa, propter necessitatem præsentis vitæ. Resp. secundo, activa prior est, et per hanc perveniendum ad contemplativam. Prius enim mortificandus animus, ut contemplationi præparetur. Unde Bernard. serm. III. de assumpt. advertit, prius Christum a Martha susceptum, quam Magdalena ad ejus pedes sederet: sicuti Lia prius quam Rachel data est Jacobo.

Resp. tertio, activa et contemplativa adjuvari debet; nam absque Maria parum potest Martha, absque oratione actio. Dic ergo illi ut te adjuvet. Singula illa animalia Ezechielis, c. I. manus ala supponebant, ut insinuarent homines spirituales semper tenere manum operis sub ala contemplationis, simul operando et contemplando. Sic Exod. XVII. Moyses orans adjuvit Josuem pugnantem, Josue vires pugnandi accepit ab oratione Moysis. Moyses enim orante vincebat, cessando succumbebat.

Rursum, cum necessitas requirit, contemplativa ad actionem descendere debet adeoque suam

ad tempus intermittere contemplationem; cujus rei exemplum habemus in Aphraate monacho sanctissimo, quem cum aliquando Valens imp. Arianus cito gradu, licet ætate confectum, incedentem vidisset, quo iret interrogavit; at ille: *Pro tuo, inquit, regno precaturus. At intra cellam tuam, ait imperator, sibi manendum fuit, ut lex monastica postulat.* Cui Aphraates: *Præclare admendum, inquit, dicis o imperator, et ita hactenus feci, dum oves Salvatoris pace fruebantur: at modo cum per te disperguntur et vexantur, satagendum est, ne pereant, sed serventur incolumes.* Ad quæ commutatus illi Valens tacuit, Baron. anno 370. Sic laudatus a Deipara fuit Accursius Minorita, qui colloquio cum virgine sibi apparente abrupto, ad ingemiscentem in nosocomio ægrum fratrem accurrit, ut in chron. Minor. sic Joannes apostolus in Patmo contemplationi vacans, audit vocem post se, qua monetur erudire episcopos Asiæ per litteras, Apoc. I. denique in ea domo hospitatur Christus, ubi Magdalena et Martha, id est, vita contemplativa et activa simul sunt.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

VIRGO ASSUMPTA SACRO FALCONI COMPARATUR.

I. Quia renovavit juventutem suam. — II. Recta in cælum evolavit. — III. Evolavit supra omnes sanctos. — IV. Nobilissima prædatrix est.

THEMA.

Soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. X.

In historia Parthenia Carnotensi refertur nobilem quemdam in hodierno Deiparæ assumptæ festo falconem ad prædæ edoctum, pro recognitione fundorum, quos ab Ecclesia Carnotensi possidet, singulis annis offerre altari ad s. missæ offertorium. Miratus sum initio miræ et inusitatæ oblationis conditionem; cur nimirum falco, et non potius columba aliæ prædæ nescia avis Deiparæ offerretur. Ubi tamen rem expendi, reperi non abs re falconem oblationi electum esse, velut Deiparæ ad cælum evolantis elegantem typum, quem hic clarius intuebimur.

Inter falcones quædam species est, cæteris nobilior, eorum, qui *sacri* dicuntur a Latinis, Græcis, et Germanis; eo quod cæteris nobiliores et sublimiores, corpore majores, volatu celeriores et

sublimiores, denique omnibus fortiores, ac proinde terrori sint. Hunc ergo non in paucis similibus reperio Deiparæ in cælum assumptæ.

I. Falco renovat juventutem suam, excussis veteribus pennis, et tunc volacior ac nobilior fit. Scribit de hac re S. Job, c. XXXIX. *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Quasi diceret: Hanc rem tam miram tu quomodo efficies? Non enim de pullis plumescitibus loquitur, cum alas nondum habeant, quas extendere queant; sed de adultis, qui flante austro alas expandunt et ventilant, ut repetentem sibi auram faciant, sicque laxatis porris, veteres pennas ejiciant, et novas succrescentes acquirant, ut explicat ibi S. Gregorius. Simili quoque ratione suam renovavit juventam Deipara. Cum enim jam septuaginta duo annorum (juxta communiorem sententiam) esset, et mortem sibi instare divinitus intellexisset, præ gaudio et desiderio videndi Filii sui, exclamasse dicitur: *Fiat mihi iterum secundum verbum tuum;* sicque manus reverenter et graviter elevans, ut scribit Nicephorus, l. II. hist. c. XXI. quasi ad cælum volaturiens, emigravit: post triduum resuscitata, et immortalitate aliisque gloriosi corporis dotibus instaurata, ad cælum evolavit. Præter testimonia aliorum patrum et scriptorum, in revela-

tionibus S. Birgittæ, l. VI. c. XXVI. ait ipsa: « Paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat. Cumque quædam die animus meus suspensus esset in admiratione divinæ charitatis, tunc anima in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. » Duabus igitur alis potissimum ventilatis se in sublime libravit, meditatione passionis Filii sui, deinde desiderio ejusdem videndi, sicque celerissimo volatu ad cæli culmen pervenit: primo quidem, secundum animam, post triduum etiam secundum corpus, eo fere modo, quo regum legati Romam primo, sine pompa, quasi clam et soli cum paucis ingrediuntur, post cum ingenti et publico apparatu. Considerate jam discrimen inter Matrem cruci adstantem, et in gloria cælesti residentem. Ibi lacrymis oppleta, et gladio transfixa stetit; in cælo gaudiis cælestibus undique perfusa: ibi Filium aspexit summis in doloribus et probris; in cælo aspexit gloria et honore circumdatum: ibi audiit Filii contumelias, vidit circa se canes feroces, in Filium latrantes; in cælo audit laudes et Filii et suas, videtque circa se choros angelorum et sanctos sibi applaudentes: ibi a Filio *mulier* tantum compellata fuit, ne gravius sauciaretur nomine *matris* audito; in cælo audit *mater*, et quantum ibi vulnerata fuit, tantum in cælo nunc recreatur: ibi horridum cadaveribus montem, cælum obscuratum, turbam circumfremantem, latrones juxta Filium vidit; at modo cælum splendidissimum, Filium solis instar rutilantem cælumque illuminantem, angelos cantantes, cherubim et seraphim Filium stipantes; seipsam vero corporis dotibus quasi aureis monilibus circumornatam.

II. Falco, seu accipiter, hoc peculiare habet, quod: « Aves aliæ si cursum arripuerint in sublime, obliquo ferri tractu, curvatisque spatiis agi coguntur, neque recta possunt cursum intendere; solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat, » inquit Pierius, hierogl. l. XXI. Hunc in modum Deipara corpore et anima recta in cælum evolavit, non oblique ut nos, qui plerique saltem prius ad purgatorium divertere cogimur propter labe aliquas nobis adherentes, a quibus Deipara immunis fuit. Cum enim in omnibus suis cogitationibus, verbis et operibus recta semper intentione Deum aspexerit, nec unquam ad creaturam aliquam inordinato amore deflexerit: quid mirum, si recta in cælum ivit? Nos ad res terrenas aliquas perperam dilectas subinde convertimur: nos in oratione distracti cogitationem mox a Deo deflectimus: in bonis operibus facile nim si ad

vanam gloriolam nostraque commoda aspiciamus; unde non mirum, si obliqua etiam via ad cælum eamus. Nihil tale in Deipara fuit: recta igitur cælum petivit. Mirantur hoc in ipsa ss. angeli verbis illis, Cant. III. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris?* Ascendit enim continuo, nunquam sedit aut quievit, quia semper profecit in gratia: *per desertum*, id est, per mundum incultum et horridum: *sicut virgulta*, id est, recta non obliqua: *fumi*, id est, levissima, gracilissima, ab omni terrenæ labis pondere libera: insuper: *Divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendio pii amoris*, inquit Alanus ibi. Fumus enim iste odorifer erat ex aromatibus myrrhæ et thuris, omnis scilicet generis virtutum: fumus noster, anima nostra aliquid semper factoris et terreni amoris habet. Ergo* ut ex ardente cereo recta ascendit fumus cælum versus; sic Deipara post mortem ascendit ad thronum gloriæ suæ. Unde S. Jo. Damascenus, orat. II. de dormit. B. V. ait: *Huic recta plana et facilis ad cælum parata est via.*

III. Falco præsertim sacerevolat altissime, adeoque super nubes, ut videri nequeat, et supra omnes alias aves, unde *aeriphilus* dicitur, seu *amicus aeris*, teste Alb. M. Et quousque dicemus evolasse Dei Matrem? Ad chorum ss. conjugum? At licet conjugata esset, virgo tamen fuit; altius ergo ascendere debuit. Ad chorum ss. virginum? At præter virginitatem, quam sine exemplo vovit Deo, eminentissimam, longe plura alia merita habuit, juxta id Prov. XXXI. *Multæ filæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Ad chorum ss. monachorum et eremitarum? At longe illis pauperior, longe accuratior Christi imitatrix fuit, quæ continuo illum præ oculis habens, exactissime secuta fuit. Ad chorum sacerdotum? Atqui longe illos superat, quæ proprium Filium Patri incruentum obtulit. Ad chorum episcoporum? At illa per multos annos præses totius Ecclesiæ fuit. Ad chorum ss. martyrum? At plus quam martyr est, teste S. Bernardo, ser. in id *Signum magnum*; quia in anima passa; quia omnes Filii cruciatus sensit, cocta in lacte Filii, ejusque sanguine aspersa. Ad chorum apostolorum? At ipsa apostolorum doctrix erat. Ad patriarcharum et prophetarum? At ipsis multo humilior fuit; posuit enim se ultimo loco: *Ecce ancilla Domini.* Ad choros angelorum? At ipsis longe purior fuit: angeli enim extra corporis lutum constituti, puritatem servarunt; Maria in corpore et luto, ad choros Cherubim et Seraphim? At charitate Dei longe eos præcessit, quæ Deum amavit, non ut patrem et creatorem dumtaxat, sed etiam

ut filium. Omnes ergo istos choros transcendere debuit: *Ascende superius.*

IV. Falco prædandi robore et industria omnium nobilissimum est. Sed quid hoc ad Deiparam? Num et ipsa prædatrix est? Ita sane, sed falconis instar ad venationem, ut dixi, edocti, qui ad oblectandos principes terræ, prædas suas agit: sic enim et Maria Deum totumque cælum suis aucupii delectat. Falco sacer in primis prædatrices etiam aves persequitur et dejicit ex alto, ita ut nemo sciat unde deciderint; quam ob causam ab omnibus illis timetur, etiam ab aquilis: adeo, ut eo conspecto vel audito inter frondes se abscondant, et potius capi ab hominibus, quam prodire in lucem velint, ut scribit Alb. M. sic Beata Virgo terror est dæmonibus, quos pedibus premit et exarmat, atque in fugam compellit. Unde S. Bernardinus, serm. LI. art. III. c. II. ait: «Sicut magnus ignis effugat muscas: sic ardentissima Virginis mente et inflammatis charitate effugabantur dæmones, et pellebantur in tantum, quod solum in modico non erant respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi propinquare.» Et si hoc, vivente et adhuc militante virgine, quanto magis jam triumphante? (Inter plura exempla audiamus unum de filio S. Birgittæ, Carolo, militari homine, qui Deiparæ interventu, a dæmonum insidiis in agone et iudicio mire defensus est, quod illam impense amasset et de bonis ac gloria ejus ita lætari consuevisset, ut potius inferni cruciatus sustinere, quam ejus offensionem vellet. Ita dæmoni in articulo mortis non est permissum a Deipara, ut eum tentaret; dolores etiam ita mitigati sunt, ut ne deficeret aut desperaret. In iudicio, cum dæmon duos producere libros accusatorios vellet, in primo omnia Caroli peccata deleta, secundum omnino perditum deprehendit, in B. Birgittæ revel. I. VII. c. XIII. Aliud exemplum recenset Petrus Damiani, l. II. epist. ep. XIV. de Basso quodam Burgundione, qui B. Virgini devotus cum obiisset, antequam grave quoddam peccatum confiteretur, dæmonum manibus ereptus Virgini vitæque restitutus est, quod peccatum in confessione elueret.

Alias aves innoxias capit falco ad suum vel domini sui cibum: ita et Deipara eripuit in primis animas multas e purgatorio. Paulo ante nominatus B. Petrus Damiani narrat, epist. l. III. ep. ult. mulierem quamdam Romæ defunctam, Maroziam nomine, commatri suæ, post annum fere a morte sua hac ipsa assumptionis Deiparæ nocte apparuisse, cumque ab ea rogaretur, quid haberet: «Usque hodie, inquit, non levis me pœna cruciavit ob peccata quædam levitatis in juventute patrata, quæ confessa quidem fui, sed

pœnam inunctam oblitam non peregi: at hodie Regina cæli pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis pœnentialibus liberavit, totque inde eripuit, ut numerum Romanæ plebis excedant.» Cumque de rei veritate dubitaret mulier altera: *Scito, inquit, in signum veritatis, quam tibi modo aperio, te hac ipsa die post annum morituram.* Quod et factum est. Et quis dicere nobis possit, quot animas peccatorum viventium quotidie e dæmonum unguibus eripiat et ad cælum evehat, Filio suo in cibum quasi et delectationem jucundissimam?

Quando igitur vidimus Virginem Deiparam non absque ratione falconi comparatam, superest, ut nos, qui alis destituti sumus, eam, quo possumus modo, amplectamur, et fortiter apprehendamus; quo nos secum cælo inferat. Amplectemur autem, si cultu peculiari eam veneremur et constanter invocemus, quodque efficacissimum est, pro viribus imitemur.

CONCIO II

BEATA VIRGO IN COELO QUASI PLATANUS EXALTATA.

I. Chlamyde aurea corporis glorificati. — II. Torque aurea summæ in cælo inter beatos gloria. — III. Armilla summæ potestatis.

THEMA.

Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis.
Eccl. XXIV.

De Persarum rege Xerxe scribit Herodotus, l. VII. et Ælianus, l. II. var. hist. cap. XIV. venisse cum exercitu in Lydiam, et vidisse ibi proceram admodum et pulcherrimam platanum, cujus pulchritudine delectatus, in amorem ejus raptus est adeo, ut in ejus gratiam castra posuerit in solitudine circa illam, necnon multiplicem et pretiosum ornatum ex ea suspenderit, videlicet chlamydes, torques aureas et armillas. Invenimus etiam nos in lectione hodiernæ missæ speciosam valde platanum, descriptam ab Ecclesiastico his verbis: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis.* Platanus umbra sua, quam projicit, omnes arbores præcellit, proinde contra æstum longe optatissima. Jure igitur designat Virginem Deiparam; quæ umbram et refrigerium generi humano attulit, Christum Dominum. (Ita enim ejus carnem sanctissimam appellat S. Bernardus, ser. XX. in Cant.) Hanc invenit, et ob virtutum omnium eximiam pulchritudinem adamavit cælestis Xerxes, hoc est, bellator, (id enim sonat Xerxes) Rex cæli et terræ, Dei Filius, adeoque exaltavit

in cælo juxta aquas deliciarum, in plateis civitatis cælestis coram omnibus cælitibus et tribus potissimum ornamentis condecoravit plane aureis et pretiosissimis, chlamyde corporis gloriosi, torque summæ inter omnes cælestes post Christum gloria, armillis summæ potestatis in mortales et creaturas omnes. Quæ nunc explicabimus.

I. Primum, est chlamys aurea corporis glorificati, qua tertio ab obitu die condecorata fuit, ut communis Ecclesiæ; sensus habet, et sancti patres Damascenus et Juvenalis aliique docent; experientia comprobatur, cum ejus solius reliquæ nusquam inventæ sint: Scriptura sacra confirmat, Psal. XLIV. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*; immortalitate scilicet corporis gloriosi, ut exponunt Eusebius et Hugo. Rursum Apoc. XII. appellatur *amicta sole*, hoc est, stabili et perfecta gloria, quæ tam corpus quam animam glorificat. Merito autem hoc ornamentum ei collatum est. Primo, quia fuit Mater Dei, quæ vestit in primis Filium carne humana, prius quidem corruptibili: post triduum vero mortis, incorruptibili. Deinde, veste inconsutili (secundum Euthym. et alios) *desuper contexta per totum*; quam ne impii quidem milites scindere voluerunt (cum tamen alioquin ipsum templi velum in morte Christi scissum sit); quæ etiam usque hodie religiose asservatur incorrupta et visitur Treviris. Igitur, Deo ordinante, vestis illa Christi scindi non debuit, quia tali textrice elaborata fuit; quanta magis ipsam sanctissimam textricem, non discindi aut dissolvi, sed integram decuit servari; ita saltem, ut post solum mortis debitum non ut aliorum corpora in cinerem resolveretur, sed gloria vestiretur? Et si vestem illam tinea non tetigerunt usque hodie, textricem ipsam consumere debuerunt? Manius S. Oswaldi Angliæ regis, postquam ille discum argenteum cibus refertum sustulit e mensa, et pauperibus, qui foris aderant, distribuit ac donavit, arrepta a S. Aidano episcopo, dicente: *Nunquam inveterascit hæc manus*, post mortem ejus incorrupta, reliquo corpore assumpto, conservata est, et in urbe regia et templo Sancti Petri deinceps asservata, ut in ejus vita Sur. 5. august. Ecce non etiam manus et Mater illa, quæ Dei Filium vestit carne simul et tunica, integra et incorrupta conservari debeat?

Secundo, quia viva Filii Dei arca et domus fuit. Scimus arcam fœderis Domini ex lignis Setim impunitabilibus (ut vertunt Septuaginta) jussu Dei compactam fuisse. Est enim Setim arbor, quæ uti nitore et pulchritudine ita fortitudine et soliditate omnes arbores superat. Eadem arca usque ad diem iudicii occultata, conservabitur illæsa, ut habetur, II. Macch. II. Quod si arcam il-

lam, quia legis, non nisi ad Christum usque duratura, receptaculum fuit, integram permanere voluit Deus usque ad finem mundi; nonne magis decuit vivam illam arcam Deiparam, in qua ipsemet legislator Deus requievit, incorruptam conservari? Confirmatur id ex Lauretana Virginis æde, quæ per sexdecim sæcula adhuc integra perseverat, neque fulcimenta requirit aut admittit, licet et lateribus constructa, alicubi rimas agere videatur. Quanto plus honoris debetur Dei Matri, quam ædiculæ ejus? Augustus Cæsar Pisonæ domum a fundamentis usque ad tectum accurate ædificante: *Animum, inquit, meum exhilaras, ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna*, apud Corn. Exodi XXV. Sic extruxit Deus ædiculam Matris suæ, ac si futura esset sempiterna. Longe igitur magis exhilarabat Deum corpus ejusdem virginis, ita constructum, ut in æternum duret.

Tertio, quia immunis ab omni peccato fuit, propter quod Adamo dictum: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*. Cæteri mortales ad Dei conspectum accessuri, exuere cum Moyse calceos mortalis sui corporis debent, et in sepulcro relinquere, adeoque nudis pedibus, seu nudata a corpore anima, ad Deum pergere, quia inquinaverunt calceos suos: at virgo Maria nunquam. Ei enim dicitur, Cant. IV. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*: unde mox subditur: *Veni de Libano, sponsa mea; veni de Libano; veni coronaberis*. Ter inquit Christus: *Veni et tertio ab obitu die ad coronam evocata est in cælum Maria corpore glorioso*.

II. Secundum, est torques aurea, hoc est summa in cælo, post Christum gloria et beatitudo. Torques aurea nobilitatis insigne est. Jam uti major nobilitas esse non potest, quam esse Dei Matrem, ita majorem in cælo gloriam post Christum nemo obtinet, quam ejusdem Mater. Consentiant in hoc sancti patres, Chrysost. in liturgia vocat eam: *Horabiliorem cherubim, gloriosorem incomparabiliter seraphim*: V. Beda orat. de laudibus Virg. *Sanctiorem cherubim et seraphim, sanctis omnibus sine comparatione gloriosorem*: D. Epiphanius, serm. de laudibus Virginis: *Solo Deo excepto, cunctis superiorem*: Sanctus Bernardus, serm. de assumptione Virginis: *Nec in terris, inquit, locus dignior uteri virginis templo, nec in cælis regali solio Virginis*. Confirmatur ex Apoc. XII. ubi dicitur *amicta sole, et luna sub pedibus ejus*; quasi ita superet gloriam aliorum beatorum, sicut sol lunam: et gloria illorum quam lunæ dimidiata forma in capitibus eorum pingimus, sit subjecta ejus pedibus, adeoque longe infra gloriam ipsius Virginis. Accedit

testimonium Psal. XLIV. *Adstitit regina a dextris tuis*, Filii videlicet. Quis autem nescit dextram regis honoratissimum ab ipso locum esse? Causam rogatis?

Prima est, quia Dei Mater est. Scimus autem Salomonem sapientissimum regem posuisse matri suæ Bethsabææ sedem a dextra sua, III. Reg. II. nemini enim in terra plus debent filii, quam parentibus. Unde Guarricus abbas, serm. de assumpt. Virginis, ait in persona Christi ad eam: « Veni electa mea, et ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli etiam abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum. »

Secunda, quia ejusdem ministra et socia in laboribus et cruce fuit. Scimus illud Christi: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, Joan. XII. At quis majori amore, studio, humilitate, sollicitudine Christo unquam ministravit, quam ejusdem Mater? Adstiteret Christo in cruce patienti Joannes, Magdalena et quædam alie piæ feminæ: at nemo tanto cum dolore atque ejus Mater. Unde S. Bonaventuræ dictum: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior*. Quæ ergo calicem passionis Filii ad fundum usque exhausit, nonne ejusdem gloriam in cælo præ cæteris maxime omnium participabit? Quæ passionum socia maxime propinqua fuit, non erit gloriæ?

Tertia, quia humillimo in loco sese collocavit; merebatur igitur ut ad dignissimum præ cæteris beatis locum eveheretur. Magdalena ad pedes Domini sedit, adeoque humilis fuit; sed jure merito, quia post admissa peccata: at Virgo Maria cum peccatum nullum admisisset, ancillam se Domino obtulit et præstitit in stabulo Bethlehemitico totaque reliqua vita. Bona est humilitas cum peccatis: at longe melior cum virtutibus et tanta sanctitate, quantam habuit Dei Mater. Arborea, quo profundiores agunt radices, eo altius exrescunt, ut resistere ventis possint, teste Plinio, I. VI. cap. XXXI. Sic et justus: *Mittet radicem deorsum et faciet fructum sursum*, Isa. XXXVII. At quis post tantam exaltationem, quantam contigit Mariæ in salutatione angelica, tam profundum humilitatis fundamentum jecit, atque ipsa quando dixit: *Ecce ancilla Domini*? Quis igitur dubitare queat, in summam gloriæ altitudinem hanc arborem ascendisse?

III. Tertium, est armilla manum adornans, et summam quidvis impetrandi et agendi potestatem in cælo et in terra significans. Hanc etiam ss. patres Mariæ attribuerunt, uti B. Damascenus, orat de assumpt. ubi ait ipsam: *Rerum om-*

nium conditarum dominam effectam: S. Bernardus, in serm. super signum magnum: *Propterea facta est omnium domina, quæ se exhibebat ancillam*: S. Anselmus, I. de excell. Virg. c. XI. appellat eam *dominam rerum omnium*: S. Epiphanius, in serm. de laudibus Virg. ait eam: *Dotis gratia accepisse cælum et terram*: D. Athanasius, in serm. evang. de Deipara vult eam et: *Reginam et dominam et Deiparam, proprie et vere censeri*: S. Gregorius Nicomediensis archiepiscopus, orat. de præsent. B. V. ipsam sic affatur: *Nihil resistit tuæ potentie, nihil repugnat tuis viribus; omnia cedunt tuo jussui, omnia obediunt tuo imperio, omnia tuæ potestati serviunt*: Arnoldus Carnot. tract. de laud. Virg. *Constitutam ait super omnem creaturam*: et hoc jure merito.

Primo, quia Mater Dei. Cum autem filii ex natura sua parentibus subjaceant, et sint præterea pars aliqua parentum; quantum crescit dignitas et imperium filiorum, tantum crescit et parentum, ne subjecti fiant filiis, quod esse contra naturam asserit Aristoteles, VIII. eth. c. XI. Retinent enim parentes prærogativam semper et jus aliquod in filios. Confirmat hoc Salomon, qui jam emancipatus et rex constitutus matri suæ dixit: *Neque enim fas est, ut avertam faciem tuam*, hoc est, ut exposuit Adonias: *Nihil tibi negare possum*, III. Reg. II. Unde S. Antoninus: *Filius ait, non tenetur tantum audire matrem, sed et obedire*. Non ergo multum erravit devotus ille et simplex fr. conversus in monasterio Hemmerode; apud Cæsarium, I. VI. mirac. et hist. c. XXX. qui in tentatione sic orabat: « Vere, Domine, si non liberaveris me hac tentatione, ego Matri tuæ conquerar. Pius enim Dominus, subdit Cæsarius, magister simplicitatis et amator humilitatis, ac si timeret apud Matrem accusari, conversi quærimoniam prævenit, tentationem ejus mox mitigans. » Quam ejus orationem alius conversus retro ipsum stans audivit et aliis narravit. Putavit nimirum bonus frater fieri non posse, ut Matris suæ preces, ad quam appellare voluit, Filius non audiret.

Solent principes suis conjugibus, cum sincere eas amant, suam communicare potestatem, uti Assuerus Estheri, cui dedit potestatem scribendi litteras, quas vellet, et signandi annulo suo, Esth. VIII. Dux quidam Sabaudus, cum in conjugem accepisset infantem Hispan. Catharinam, tanti eam fecit, ut cum subditis ac famulis beneficium conferret, omnibus et singulis dicere soleret: *Infantia facit vobis hanc gratiam*. Refert Biverus, tr. de privil. B. V. dissert. III. Ergo dubitabimus similem potestatem Matri Dei collatam esse a Filio?

Secundo, quia videtur ei hoc deberi ex justitia; siquidem ipsa contra jus et fas iniquissime a Judæis spoliata est Filio suo innocentissimo; deinde etiam a Deo Patre perquamdam violentiam qui eum pro humano genere in victimam depoposcit. Non ausa est Deipara Deo Patri se opponere, justitiam exposcenti: Judæis non potuit, furore et rabie percitis. Interim Mater patitur et immerito perdit Filium suum, præstantiorem mille mundis, chariorem omnibus thesauris. Quam hoc acerbum sit, testatur illa Thecuitis, quæ etiam filio reo (in parabola) impetravit vitam a Davide, ne extingueretur scintilla familiæ ejus, II. Reg. XIV. Quid igitur Deipara? Nihilne compensationis accipiet pro Filio suo? Indignum simul et iniquum istud foret. Igitur de jure debetur ei saltem, quanto pro tali Filio dari potest, jus in omnes filios hominum, ut quoscumque ad se confugientes veluti ad matrem, recipere in filios et promoveri ad salutem possit. Fatendum quidem hanc retributionem necdum adæquatam, et pro tali Filio sufficientem esse; tanto igitur magis ei debetur. Nam si Deus Annæ, matri Samuelis, pro uno filio sibi oblato dedit quinque alias proles, tres filios et duas filias, I. Reg. II. et si terra pro uno semine sibi tradito reddit quandoque centuplum; quomodo non Deiparæ Deus munificentissimus reddat pro tali tantoque Filio sibi oblato, alios innumerabiles; præsertim cum innumerabiles etiam non æquivalent illi uni? Hoc absque dubio est, quod ipsi Christus crucifixus, in Joanne, dedit; omnes scilicet homines, quotquot ipsam recipere in matrem et confugere ad eam velint, ut docet Toletus, in Joan. Quamobrem secure dicere possumus neminem periturum, qui in matrem et patronam suam recipiat ac retineat Mariam: *Ipsa enim est, quæ velut alterum solem induit sibi*, ait S. Bernardus de verb. Apocal. *Signum magnum, etc.* « Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo miseratur affectu. » Nec pertimesco dicere neminem damnatorum in inferno fore, si ad Mariam confugissent, seque ei veluti matri in filios consignassent.

Jam vero, auditores, postquam intelleximus, qua ratione platanus ista, Deipara, exornata sit a Filio; superest ut nos quoque, si ejus patrocinio frui, et sub umbra ejus protegi contra æstum solis illius justitiæ volumus, ipsam debito prosequamur honore. Sane antiqui platanum umbræ causa præ foribus suis plantabant, uti Dionysius Siciliae rex; deinde etiam vectigal pro

ejus umbra pandebant: ad hæc ut firmiores ageret radices et vivacior esset, vino eam rigabantur ut scribit Plinius, I. XII. cap. I. Pari modo nos Deiparam primo in patronam nostram eligamus; quemadmodum S. Stephanus Hungariæ rex in suam et totius regni tutricem eam delegit. Deinde, vectigal aliquod seu diuturnum seu hebdomadarium aut menstruum ei impendamus, rosarium, jejunium, confessionem, communionem. Vino ejus radices, pauperes, perfundamus; pro his enim orat: *Vinum non habent*. Denique, nihil in nostris ædibus contra ejus honorem fieri permittamus. Sic fiet, ut cum in articulo mortis nostræ sol justitiæ nos aspexerit, habeamus qua ratione nos protegamus, sub umbra videlicet platanum et pallio Mariæ, quando impii dicent montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni*, Apoc. VI.

CONCIO III.

BEATA VIRGO EXALTATA UT PALMA: CAUSÆ TANTÆ EXALTATIONIS.

I. Ob profundissimam ejus humilitatem. — II. Ob summam paupertatem. — III. Ob maximam in tribulationibus patientiam. — IV. Ob amorem Dei intentissimum.

THEMA.

Quasi palma exaltata sum in Cades. Ecclesiastici XXIV.

Suetonius in Augusto refert imperatori illi enatum aliquando palmam inter juncturas lapidum ante domum suam. Quare id pro omine habens, transtulit eam in compluvium deorum penatum, seu patriorum, loco honorificentissimum, medium scilicet atrium domus suæ, ubi e tectis pluvia confluebat, ut arbor irriguis gaudens, ibi in altum cresceret. Fuit hic imperator, sub quo et nata est Deipara, et Christum enixa. Quid si igitur ominosa hæc palma Deiparam designasset? Ea sane inter obscuros parietes, humili domuncula nata est: verum quia palmæ instar nobilissima virtutibus fuit, in cælum hodie a Deo translata est, et quidem loco post Christum omnium honorificentissimo, et tali, quo omnis omnium sanctorum gloria, quas in centrum confluit, implantata. Bene huic rei convenit, quod Nicephorus, I. II. hist. eccl. c. XXI. refert B. Virgini palmam ab angelo porrectam fuisse, cum ei dissolvi cupienti responsum est e cælo allatam quod jamjam ad Filium migratura esset. Huc igitur,

ni fallor, respexit Ecclesiasticus, quando de ipsa prophetans dixit: *Quasi palma exaltata sum in lades*; sicut intelligit Ecclesia, cum ea verba in hodierna legit missa. Cades exponitur sancta; et quid nisi Sanctum sanctorum, seu thronum cœli sublimissimum indicat, super alios sanctos elevatum? Verum ut videamus nihil hinc invidiæ in cæteris sanctis oriri posse, adeoque meritissimo deberi ei locum illum, ostendamus id compluribus rationibus.

I. Palma profundas habet radices, ideoque altissime exrescit; cedri tamen altitudinem non attingit, ut scribit Berchorrus, in reduct. moral. l. XII. c. CXII. et Geminianus, de similitudine rerum, l. III. c. XXXVII. Sic etiam Deipara profundissimas humilitatis egit radices, plusquam alii sancti: ideoque jure merito exaltata est supra omnes post altissimam illam cedrum, Christum Dominum. Quo altius crescit arbor, eo profundius in terram infigere radices solet, ut contra ventos firma consistat; quo altior erit turris, eo profundiori eget fundamento; quo altius aqua ascendere debet, eo profundius prius descendat oportet: pari ratione quo humilior quis in terra fuerit, eo sublimior in cœlo erit; quod ostendit Dominus Matth. XVIII. statuens parvulum in medio discipulorum, addensque: *Quicumque se humiliaverit sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum*. Accedit S. Bernardus, l. de modo bene vivendi, serm. XXXIX. *Quanto humilior fueris, tanto te major sequitur gloriæ altitudo*. Et ratio est, quia quo magis quis se coram Deo deprimit, eo magis ejus majestatem agnoscere et æstimare cœsetur, ac proinde magis reveretur et colit, ideoque etiam magis meretur exaltari: quemadmodum et luna, quo longius a sole recedit, eo solari lumine plenior fit et splendet magis. Jam vero nemo post Christum magis se humiliavit, quam Beata Virgo, quia nemo ex altiori culmine se demisit ad ancillare officium: quæ cum esset ab angelo, imo a Deo tam honorifice salutata: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, turbata est in hoc sermone, quasi laudes iste nulla ratione ad se pertinerent; deinde electa in Dei Matrem, (quæ tanta est dignitas, ut major homini contingere non possit) dixit: *Ecce ancilla Domini*; talemque se exhibuit semper. Jure igitur super omnes creaturas exaltata fuit. Unde non abs causa de ipsa prædictum videri potest, quod Deus Ezechie regi dixit, IV. Reg. XIX. *Quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum*. De domo Juda fuit Maria quasi reliqua; et quia misit radices deorsum, plusquam alii omnes, ideo fecit fructum sursum, super omnes alios. Misit etiam Abigail,

uxor Nabalis relicta, nobilis et dives ac famosa, profundas in terram radices, cum postulata a Davide, strenuo duce, in uxorem, adoravit prona in terram et respondit: *Ecce famula tua sit in ancillam, et lavet pedes servorum domini mei*; ideoque mox deducta ad Davidem, ut ei desponsaretur. Sed parum est hoc, imo nihil respectu B. Virginis, quæ non in sponsam ducis, sed in matrem Dei petita, se ancillam appellavit et exhibuit nisi etiam ipse David capite præcedenti profundas in terram radices, quando e Saulis manibus ereptus, sic ad eum locutus est: *Quem persequeris, rex Israel? (Quem persequeris?) Canem mortuum persequeris et pulicem unum*: quare merito etiam fecit fructum sursum, ut rex inaugurandus, a Saule nosceretur mox quasi prophetante: *Et nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel*, quia se canem mortuum et pulicem appellat, inde mox agnoscitur rex inaugurandus: verum quanto sanctior Maria Davide fuit tanto major ejus demissio fuit, ideoque etiam tanto altiorem ad thronum in cœlo elevata: misit etiam Joannes profundas valde radices deorsum, cum præcursor Domini electus, indignum se protestatus est, qui procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus, vel ut Matthæus V. cap. habet, calceamenta ejus portaret; ideoque fecit fructum sursum, ut a Domino vocaretur *angelus et major inter natos mulierum*: sed non attingit Joannes Mariæ humilitatem, quæ sanctior Joanne cum esset, ad Christi ancillare officium se dejecit. Unde addit Christus ad illam Joannis commendationem, Joan. XI. *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*; quasi reservans altiorem in cœlo locum Matri suæ, ut quæ demissione Joannem longe expressit. Quid ergo mirum si præ omnibus sanctis in cœlo exaltata, fecit fructum sursum, quæ præ omnibus aliis radicem misit deorsum?

Quare in cœlo magnus esse vult, hanc viam ineat necesse est: *Qui se humiliat, exaltabitur*; et quo magis se humiliat, eo magis exaltabitur. Uti vicissim quo magis quis se exaltat, eo magis humiliabitur; quod vel in Lucifero patet, qui in cœlum volens conscendere ad ipsum Dei thronum, in abyssum inferni dejectus est.

II. Palma contra naturam aliarum arborum, stipitem habet in caudice tenuem, et corticis scabritie perplexitateque visu minime jucundum, superiori vero in parte crassum, ramorum amplitudine amœnaque pulchritudine viriditatis expansum. Sic B. Virgo, secundum hæc temporalia et infima pauper et tenuis fuit angusta ei domuncula, pauper et vilis sponsus; angusta et curta supellex, quam etiam in fuga Ægypti facile dese-

ruit nulla apud homines hujus sæculi existimatione. Unde, Judæi per contemptum de Christo aiebant: *Nonne hic est faber, filius Mariæ?* Marci VI. et rursum: *Nonne mater ejus dicitur Maria?* Matth. XIII. q. d. obscura illa et pauperula femina? Ad hæc ipsa nunquam petiit a Filio, ut opes pauperulae domui pararet, quod facile potuisset. Quæ paupertas et abjectio tanto major fuit, quanto ipsa genere nobilior, utpote regia de stirpe: quam ob causam vere omnium hominum pauperrima et abjectissima dici potest. Quis enim nescit sobolem regiam ad imam paupertatem depressam, acrius longe sentire suam calamitatem, quam de plebe aliquam? Sed neque de terrenis rebus aliquid concupivit, sua paupertate semper contentissima; adeo ut aurum a magis oblatum vel dederit pauperibus, vel modice tantum delibavit, siquidem munus pauperum in purificatione obtulit, adiculam suam nec ornavit; quia simplex nec incrustata visitur; nec difficile deseruit, fugiens in Ægyptum. Jam vero quo magis quis a se relegarit bona mundi, eo magis se dignum reddit bonis æternis. Unde Dominus, Matth. V. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. In quem locum S. Ambrosius, lib. V. in Lucam ait: *Quia qui contempserit secularia, ipse merebitur æterna*.

Ratio est primo, quia sicut natura nullum patitur vacuum, sed omnia vult implere: ita Deus appetitum hominis, quem ipse dedit quasi infinitum ad consequendum bonum immensum. Quo magis igitur homo evacuaverit animum suum a terris bonis, eo magis implebitur cœlestibus et divinis: quemadmodum vas vacuum plus recipit, quam quod ex parte repletum est. Hinc B. Virgo canit: *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes*: quia scilicet illi vacui, hi repleti sunt, sed rebus vilibus et terrenis.

Deinde, qui amore cœlestium nihil ducit terrena, cœlestium honorum præcellentiam agnoscit et æstimat; adeoque se illis dignum reddit, quia omnia in Deo ponit. Uti contra, qui aliquid extradeum quærit, minus eum agnoscit, minus appreciat et amat: unde celebre illud S. Augustini: *Domine, minus te amat, qui tecum aliquid amat*. Non meretur gemmas, qui earum pretium nescit, dono accipere.

III. Palma procera et erecta est, nec impositis ramis pondere fatiscit; quare victoriæ symbolum semper fuit, quia: *Opprimentibus non cedit, sed fortius assurgit*, ut ait Plut. in sympos. q. IV. Clarum est ex Scripturis, pro mensura tribulationum forti animo superatarum fore mensuram gloriæ in cœlo. Hinc enim duobus discipulis considerare cum Christo cupientibus proponitur calix passio-

nis ejus, Matth. XX. et apostolus II. Cor. I. ait: *Sicut socii passionum estis, eritis et consolationis*; et II. Tim. I. *Si sustinebimus, et conregnabimus*. At quis alius ita fortis et ad ferenda pondera invictus fuit, uti Maria Virgo? Quis ita calicem Christi bibit, uti ipsa, quæ sola passionis ejus sociæ, in mente excepit omnia probra, verbera, vulnera, cruciatus et aculeum mortis, quæ Filius accepit in corpore? Imo S. Ambrosius, homil. V. de Virg. gravius ait eam afflictam, quam si dolores Christi in suo corpore excepisset; quia Filium plus quam seipsam amabat, ut: *Gravius est parentibus videre filios suos supplicio affici, quam si ipse forent iis obnoxii*, ait Sanctus Chrysostomus, hom. XXIX. in Gen. Quale ergo pondus huic palmæ impositum putamus, cum a Simeone audivit: *Tuam ipsius animam petransibit gladius?* Luc. II. Quale pondus, cum imminentem ei passionem semper et continuo præ oculis habuit, quoties eum aspexit? Abrahæ acerbissimum fuisse jure credimus, cum filium dilectum duxit in montem immolaturus: at quis sensus esse debuit Deiparæ, quæ triginta tribus annis prævidit Filii longe charioris tam diram immolationem? Hic erat fasciculus ille myrrhæ, de quo Cant. I. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, hoc est, sine cessatione cor meum affligit; et ipse dilectus meus mihi myrrha fuit, quia sic dilectus. Qui vehementer amat hortum, quem omnibus plenum deliciis sibi præparavit, cum audit eum necessario destruendum, quantum putatis is dolebit? Pauci anni sunt cum audivi divitem aliquem ob hujusmodi causam in ægritudinem incidisse, cum ejus hortus amœnissimus, variis et peregrinis plantis, aquarum ductibus, imaginibus illustris, subruendus ei nuntiaretur, ut vallum inde pro tuenda civitate fieret. Et quis animus Virgini fuit, cum jam de facto Filium suum, paradisi speciosissimum, ab hostibus diripi, cædi, conspui, crucifigi, in cruce mori vidit? Quantum pondus ei impositum, cum pro ejus vestibus, quas ipsa ei fecerat, ludi a militibus? Cum in cruce sitiienti, quem olim lacte suo potarat, vidit acetum porrigi? Cum sibi pro Filio discipulum dari audiret? Palmæ folia gladii figuram referunt: et video ibi Deiparam non, ut pingi solet, septem, sed septecentum gladiis onustam et convulneratam. Neque hic ejus dolor consolationi mixtus facile esse potuit, sicut factum in martyribus; quia præter Filium nil amavit, et cum ipso omnia ei erepta sunt. Quare merito Sanctus Anselmus, l. de excellentia B. V. cap. V. ait, leve fuisse respectu passionis ejus, quidquid martyres pertulerunt.

Porro hoc tantum pondus forti et constanti ani-

mo tulit, neque palma hæc confracta aut collapsa est, quia: *Stabat juxta crucem*, ait Sanctus Joannes; ut verissime de ea dicit queat id Cant. VII. *Statura tua assimilata est palmæ*. Quando igitur in monte Calvariæ tot ponderibus onusta stetit ac perstitit invicta juxta Filium, nonne meritissimo in summo cœlestis gloriæ culmine supra omnes sanctos stabit juxta Filium?

IV. Palma est solis amantissima, nec fructum fert nisi in loco fervido, teste Plinio, l. XVII. cap. XLIV. et l. XIII. cap. IV. unde in Italia fructus non gignit, saltem maturos. At nemo alius ita Dei amans fuit, nemo ita in perpetuo amoris fervore vixit ac B. Virgo; jure igitur et corona ejus omnium ss. coronas quam longissime superat. Qui plus in cœlo gloriæ sibi comparare vult, plus monetæ adferre, debet. Plus autem monete, adfert, qui plas auri adfert. Aurum charitas est, argentum cæteræ virtutes sunt. Hinc Apoc. III. episcopo Laodicæ tepido scribitur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis* (gloriæ scilicet) *induaris*. Aurum ignitum charitatem ferventem notat, ut optime exponunt Beda, Richardus, Ansbertus, alique. Qui ergo plus charitatis, et quidem ferventioris, habuerit, locupletior in cœlo fiet, et stola candidiore ac splendidiore induetur. Queramus jam, an B. Virgo plusquam alii sancti de hoc auro habuerit.

Id certe probatur primo, quia amavit Deum non solum ut creatorem, conservatorem, redemptorem et patrem suum, quemadmodum alii sancti: sed etiam ut Filium. Hunc autem longe excellentius amavit, quam solent aliæ matres amare filios suos. Primo, quia totus erat solius matris, non item patris terreni filius. Secundo, quia in illum omnis ejus amor ferebatur, non in plures alios dividebatur. Aliæ enim matres præter filios suos, amant etiam conjugem, parentes suos, alios liberos suos, fratres et sorores. At Maria totum amorem suum impendit uni Filio, quia simul erat Filius et Deus. Tertio, quia Filius erat nobilissimus utpote Deus, item speciosissimus, a tot sanctis desideratus, ad hæc Matri simillimus tam in vultu, quam in moribus ac virtutibus.

Probatur secundo, quia plurimis ab eo, velut Deo, gratiis ac donis præventa, et in Matrem ejus electa fuit. Quo enim plura quis beneficia accipit, si æquus eorum æstimator est, uti fuit Maria, eo plus benefactorem diligit.

Tertio, quia amor illius restrictione non eguit, aliorum parentum amor erga filios eget, ne scilicet eos magis vel æque ac Deum ament; quia Filius erat Deus.

Quarto, quia ex diuturna cum Filio conversa-

tione magis semper et magis in ejus amorem incanduit. Quod si duo illi discipuli, ad horam ambulantes cum magistro suo in Emmaus, exarserunt in amorem ejus; quid dicamus de B. Virgine, quæ tot annis ei convixit?

Quinto, ex effectibus et indicis amoris ejus. Duo hic expendamus: amorem ejus, quo stimulante Calvariæ montem fugientibus discipulis ascendit, ac inter furentes canes Filio adstitit, vitamque pro eo mortis periculo exposuit. Deinde, quod præ amoris Filii sui incendio sine ullo morbo aut dolore extincta sit, ut scribit S. Hieronymus, ser. de assumpt. Suarez, Canisius et alii. Jam vero quis alius sanctorum tali amore, tali auro præditus fuit? Ac sicut aurum suæ dignitate naturæ superat omne argentum, quamvis infinities congestum; ita amor B. Virginis amorem aliorum sanctorum, quia altioris ordinis est, ut vidimus. Erant in conventu Leuchovivæ simul Uladislaus Hungariæ et Albertus Poloniæ reges fratres cum magna multitudine Hungarorum et Polonorum, anno 1493. Ibi Polonus quidam princeps veste unionibus undique repleta prodiit, quasi provocans Hungaros ad vestitus certamen. Id videns Stephanus Hungariæ Palatinus, unicum lapidem, sed eum tam pretiosum in veste sua spectandum proposuit, ut totum Poloni gemmeum ornatum longe superaret. Viso eo Polonus victum se fessus, mox gemmatam suam vestem, qua Hungaros provocarat, deposuit, Bonfin. libro IV. dec. V. Pari modo B. Virgo si vel unicum amorem, quo Deum prosequeretur, depromeret, omnium sanctorum virtutes longe transcenderet.

Vidimus igitur Deiparam jure meritissimo in summo cœli fastigio et gaudiorum compluvio constitutam esse quia revera palma fuit. Sed si ita exaltata est, quomodo nos pusilli, infra constituti, apprehendemus fructus ejus? Sane palma dactylos suos in sublimi quidem gerit; versus humum tamen inclinatur, ut vitis botros. Sic B. Virgo in cœlo meritorum verticem ad summum gloriæ thronum erexit; eadem tamen fructus meritorum suorum in terram inclinatur, dum velut mater filiis panem, quasi manibus porrigit, etiam indignis: unde cum Cant. VII. statura ejus assimilata esset palmæ subditur: *Et ubera tua botris*. Quid ubera, nisi materna ejus benevolentia ad lactandos filios? Ut ergo botri a vite et dactyli a palma dependent, quasi obviantes prætereuntibus carpere volentibus; sic ubera Deiparæ nemini non ad ipsam recurrenti promptissime se exhibent.

Experta est Maria Ægyptiaca, cum adhuc infans femina ingredi templum Jerosolymis conaretur, ab imagine Deiparæ ter quaterve repulsa, donec ad se rediens vitæ emendationem Dei Matri

promitteret, apud Sophron. Hierosol. episcopum, in ejus vita. Simillimum est, quod refert Hier. Majorica in annis Goensibus, de Indo, (folio CCII.) qui tredecim annis non confessus, in sabato tamen, audito pulsu ad *Salve Regina*, in nostro templo cantari solito, accedere voluit. Verum ad portam templi pedibus se impeditum sensit. Quare reverti domum volens, non potuit, pedibus velut plumbo aggravatis. Repens ergo ad proximum parietem, seque inclinans, videt imaginem Deiparæ; quam alloquitur et causam sciscitatur cur templo excluderetur. Interim advenit unus de nostris patribus, qui rem intelligens, admonet eum rationis cum Deo faciendæ per confessionem. Qua voce mox permotus Indus, fatetur necessariam sibi confessionem, seque ad eam paratum. Vix emisit hanc vocem: solvuntur pedes, expediteque sequitur patrem ac confitetur, sanatus animo et corpore, petiitque a patre, ut hoc factum promulgaret ubicumque vellet ad Deum et sanctissimam Matrem ejus gloriam.

CONCIO IV.

PROTECTIO DEIPARÆ QUAM SALUTARIS.

I. Latissima, extendit se ad omnes. — II. Potentissima et efficacissima. — III. Paratissima ad juvenum. — IV. Fidelis ecclesiasticus.

THEMA.

Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. Eccles. XIV.

Solemus, auditores, in æstivis caloribus, quales fere hoc tempore, umbras adamare, et sub illas nos recipere contra ardorem solis. Sed o nos delicatos homines! Si enim brevem ac levem solis hujus calorem, corpus affligentem, ferre nequimus: qua ratione sustinebimus fervorem solis justitiæ Christi, quando ad judicandum venerit, qui et corpus et animam uret? De hoc enim Isaias, c. XXIV. ad litteram, secundum Christi adventum describens, ita ipsi loquitur: *Sicut æstus in siti, tumultum aliorum in humiliabitis: et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marescere facies*, quasi dicat: Impios tumultuosos, qui pios vexarunt, et se a te alienarunt, torrebis in die judicii, veniens in nube et æstu justitiæ tuæ, velut in terra arida, ubi nulla est umbra. Quid igitur, auditores? Quid faciemus nos, ut æstum illius diei evitemus? Umbra nobis querenda est; et ubi melior, nisi sub Deipara Virgine, cui obumbravit Spiritus sanctus? De hac

enim audimus Sapientem hodie in sancta missa loquentem: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*. Teste enim Plinio, lib. XII. cap. I. « Commendatio platani non alia major est, quam solem æstate arcere, adeo ut aliqui trans maria et a remotis regionibus eam umbræ solius gratia ad ædes suas divexerint. » Non reperitur arbor, quæ magis arceat solis ardorem et jucundiorum præstet umbram, quam platanus: nec protectio securior a ventura ira judicis, quam protectio Deiparæ. Ea hodie in cœlum exaltata est, ut inde umbram protectionis suæ in nos faciat. Quam ut avidius queramus, melius explicabimus.

I. Umbra platani est latissima, adeo platanus a Græco latitudine dicitur quod ramos suos spaciöse expandat, quibus viatoribus gratiosissimam umbram exhibeat. Inde olim quidam umbræ causa intra et supra platanum cœnabant: Licinius cum decem octo, Caius cum quidecim convivis, Plin. XII. cap. II. Pari modo pallium protectionis Deiparæ spatiosissimum est, diffundens se ad omnes, quotquot ad eam confugiunt et opem ejus implorant. Cæteri sancti ad certos limites expandunt umbram suam, ubi scilicet vixerunt, vel ubi requiescunt, vel ubi eorum templa et altaria sunt, vel peculiaris devotio est, et fere ad justos tantum. Sed Beata Virgo extendat umbram suam ad omnes homines, ubicumque terrarum sint, ut docet Idiota in contempl. Virginis, c. II. Hinc Toletus card. vult ipsi a Christo sub cruce commendatam esse in Joanne universam Ecclesiam, ut esset omnium mater. Et jure primo, quia, sicut ejus Filius omnium mediator et redemptor est, ita ipsa omnium mater et advocata, per quam habemus Redemptorem. Propterea, ut vult S. Bernardus, serm. super *Signum magnum*, Apoc. XII. dicitur: *Mulier amicta sole*; Filio videlicet. Quis autem nescit solem universo orbi communicare lumen et calorem suum? Oriri super bonos et malos? Et si juxta jurisconsultos uxores coruscant radiis maritorum, cur non et matres radiis filiorum? Quare sicut Deus appellatur *Pater misericordiarum*, ita ipsa Mater *misericordiæ*. Denique, si a Christo commendata est ei cura Joannis, filii sani et robusti, cur non et cura filiorum ægrorum et debiliū, quales sunt peccatores?

Secundo, quia hanc gloriam et potestatem protegendæ, et in filios recipiendæ omnes, qui eam receperint in sua, commeruit heroico illo charitatis, obedientiæ et patientiæ actu, quo Filium suum innocentissimum unicum et dilectissimum sibi præter jus auferri et pro humano genere immolari passa est. Fuit is actus charitatis res-